

AVGUSTI APVD VENETOS TEMPLI D. MARCI DESCRIPTIO.



ENETIAE vulgo Vinegia, præclara & insignis vrbs; imo, vrbium & insularum domina, in sinum maris Adriatici in medijs aquis sita, Regiones seu Parochias habet Lxiiij. Monasteria Monachorum xxxix. Monacharum xxvij. Tütres cxv. Organa ciiij. Orationa xvij. Hospitalia xvij. Fora publica liij. Palatia cx. Hortos clvj. Fontes publicos cxlvij. Pontes publicos, exceptis priuatis, cccl. Tot enim canales habet, quot vicos. Fanum verò nullum, quod non suo ortetur Foro, vno D. Pauli excepto. Areae sunt, quæ ad ciuitatis decorum latè se extendunt, quæ omnes nundinis, die, qui Mercurij dicitur, At Sabbato D. Marci forum, maximo, frequentissimoque conuenit. qui vel mercatui vrbis cuiusvis totius Italæ comparari queat. Forum hoc non vnu est, sed coniuncta tria.

In capite, quod litus spectat, columnæ peringentes binæ cernuntur, quarum una D. Marci lebninum alatum signum, altera D. Theodori statuam sustinet. Forum hoc in longitudine ped. cccc. in latum cxxx patet. vndiq[ue] nobilibus ædificijs clausum. Præoccupatur autem sumptuosissimo ac mirabili templo D. Marci, quod alterius fori medijs longitudinis ped. ccccc. latitudinis cxxx. frontem exortat, alterumq[ue]; caput eius ex aduersum ædes nobili lapide perfecta D. Germani tenet. Latera claudunt splendida è marmore ædifica, cum eximijs porticibus, & variorum artificum tabernis. Aedes Marciana tota è nobilissimo, preciosissimoq[ue]; marmore, nec minore artificio, quæ sumptu constructa est. Pauimentū imprimis nobile habet porphyreticis, opheticis alijsq[ue]; preciosissimis lapillis tessellatum, cum varijs emblematis. In parietibus quoq[ue]; nobili marmore crutatis, ad lauam binæ tabulæ sunt varij lapidis, candorem nigræ linea distinguant, in quarum commissura, sanguinem virile, tam excellenti artificio cernitur expressum, vt summam prorsus habeat admirationem, cuius memoriam, vti rari operis, etiam Albertus Magnus literarum monumentis celebrauit. Inlyto in hoc fano, ac inter Europæ totius magnificentissima censendo, xxxvi. columnæ stant, ex marmore solido præstantissimo crassæ diametro pedes duos, altæque conuenienti statura. Tum ad aram summæ penetralia gradibus aliquot nobilissimi lapidis ascensus est. Ipsam aram testudo tegit aqua versum in crucem fornicata, lapide opheticō, quaternis fulcita marmoreis columnis, quæ totæ signis integris, palmi paulo amplius magnitudine, celeræ perfectæque sunt, & sumptuosissimo, mirabilique prorsus opere, veteris ac noui testamenti historiam exprimunt. Post aram alabastreticæ columnæ passuum duorum, perlucidæ, vitriinstar, quatuor, religioni ac decori sacratiissimi corporis Christi positæ stant. Ipsum delubrum vtrinque; ante suggestum habet, in quorum uno, festiuis diebus, cum Senatus adesse sacris solet, musicorum chorus solennia modulatur vota. In altero quotidianie Diaconus Euangelium canit. Sustinent hæc pulpita columnæ variorum lapidum nobilissimæ. Summam aram insignis tabula decorat, ex auro, argentoque facta, multisque infiniti precijs gemmis & margaritis exornata. Dextra mox in parte, basilicæ medio, lata sublimisq[ue]; porta cernitur, opere tessellato per illustri elaborata tota, cum imaginibus Diuorum Dominici & Francisci, quæ signa Ioachimum Abbatem, effigi curauisse ferunt multis annis antè, quæ sancti illi viri in lucem editi fuerunt. Intra hanc portam, thesauros illos inclytos D. Marci Procuratores seruant, hercule, diuinarum immensus acerius, stupendæque; prorsus opes sunt. Sunt ibi coronæ maximi precijs duodenæ, totidemq[ue]; thoraces puro ex auro, & cum mirabili gemmarum variarum multitudine. Sunt carbunculi, quos rubinos vocat, item smaragdi, topazij, chrysolithi, cæteraq[ue]; genera gemmarum & margaritæ, magnitudinis penè incredibilis. Deinde bina cornua monocerotis, eximia proceritate, tertiumq[ue]; breuius, item carbunculi, aurea vasa, cochlearæ ex achatis & iaspidibus non modicæ, carbunculus item, seu rubinus maximus, vrceolus ex preciosissimis gemmis, quem Persarum Rex Venetæ Reipub. dono misit. Et alia multa ingentium precijs vaſa, cum thuribulis ex auro & argento, vt ad stuporem videntes adigat. Postrem dō mitra seu galerus, qui nouo Duci imponitur, vndiq[ue]; puro auro, per horas perq[ue]; transuersum deornatus, & in zophoro nobilissimas gemmas, & in lummo apice, carbunculū infiniti precijs tenens. Adiunt etiam ingentia candelabra, pateraq[ue]; aureæ, aliaq[ue]; tam multa maximarū opum, vt nisi longissima narratione comprehendendi omnia haud queant. Solet hic D. Marci thesaurus, festo Ascensionis Dominicæ, quod maxima pompa Veneti celebrant, quotannis populo intuēdus publicè exhiberi. Habet porrè, peraugusta hæc D. Marci ædes, atrium, duo eius latera claudens, cuius auream testudinem opere tessellato veteris Testamenti historiæ depictæ nobilitant, nec pauimentum ipsi elaborata pulchritudine cedit. Quaternæ hæc valvae aditum in templum præbent, cum xvij. columnis è nobili marmore. Crassitudinis duorum pedū, aptæque; staturæ. Duas portas octonæ harum faciunt marmoris atri cum niueis onychinis maculis, aspectu iucundissimæ. Porticus huius exterior frons cxvij. columnis porphyreticis opheticisq[ue]; & marmoreis alijs altitudinis ped. sustinetur: aliasq[ue]; sequitur huic impositus ordo columnarum, non quidem pari cum inferioribus magnitudine, sed tamen eiusdem nobilitatis cxlvj, quarum coronis ambulationem apertam complectitur supra vestibulum templi, quæ pariter, vti ipsa porticus, frontes ædis externos cingit, spodiq[ue]; forinsecus munitur, & marmoreis colummellis. Hoc in ambulacro sacerdotes, festo die Palmarum Senatu ac Principe subterstante, certas quasdam solennes ceremonias peragunt. Supercilium frontis, quod maiori portæ (quina enim hæc facies æreas habet, quarum binæ aperiuntur indies, totidem non nisi quibusdā festiuis diebus, vna perpetuò clausa est) respondet, equi ex ære vetusti quatuor inaurati, forma magnitudineq[ue]; Turcici viui, mirificè ornant. Istæ equorum statuæ, ex Constantinopoli, cum Veneti eam occupassent, transpositæ, & eō primù ex vrbe Roma ex Arcu Triumphali Titi Vespasiani allatae. Tectum fani totius quinq[ue]; constat hemispherijs plumbeo tegumento. Contra Basilicam interuallo ped. lxx. turris est eminentissima tintinnabuloru, lata quaquaversum xl. ped. alta cccc, cum alato summo in apice genij signo, ventorum indice, quoniam versatile est, & aura quavis circumagit. Sublime fastigium totum aureis vestitur tegulis, quarum fulgor solis recessu longissime conspicuus est.

DE PALATIO SENATORIO VENETO.

Magnificentissimæ D. Marci Basilica vicina est peregria Ducis Curia, ex omni parte niueo marmore incrustata, vbi Dux habet, & Consiliarij coeunt, Palatium sanè regium, in quo conclave multa, & pulchre ornata, atque armarium duplex, publicum & secreum. Illud omnibus patet: Hoc, nisi à Decemviris impetrata venia, nemini. Et sunt arma in illo contenta Decemviro auro & argento politissima. Tertium Reipub. Armarium est, quod vulgo Arferne appellant, in quo triremium, quinqueremium, & aliarum omnis generis nauium bellicarum magnus numerus. Quippe, in quo CC. triremes semper paratae sunt, & CCCC. homines opus faciunt quotidie, quibus singulis septimanis M. ccc. Ducati exponuntur. Habet verò in ambitu II. millaria, & latericio muro circumdatum, opidi speciem præse fert.